

dici quod si massa humani generis ita esset media, quod nec boni aliquid, nec mali mereretur, iniquitas esset eam damnare, intelligitur si ita esset media quod nec antecederet ad illam reprobationem, neque consequenter haberet aliquid mali aut boni, et unico verbo, si talis esset quod non esset capax boni aut mali, injustum esset damnare illam. In eo autem instanti quo Deus non eligit, seu reprobatur aliquos, licet non sint prævisa demerita, et peccata, est tamen prævisa capacitas, et defectibilitas, et ita licet peccata antecederet non se habeant ut motiva, consequenter tamen subsequuntur ut ratio puniendi, licet non ut motivum primæ aversionis, et rejectionis Dei, quod in voluntate rejiciendi a prima gratia omnes admittunt, et eadem ratio est de rejectione a gloria in ratione beneficii indebiti, licet non in ratione supplicii, ut mox amplius dicitur.

XLVI. Secundo arguit, quia exclusio a regno cœlesti est maximum malum quod homini inferri potest a Deo, ut patet quando in executione ei irrogatur, quia est maxima pœna, et supplicium, quo punit Deus peccatorem: ergo non docet divinam bonitatem, sed maximam redolet credulitatem velle illam inferre antecederet ad demerita, et culpam prævisam, etiamsi id fiat propter ostensionem justitiæ, aut propter libertatem Dei ostendam, aut ex aliquo alio motivo. Consequentia probatur, quia velle alicui malum nulla attentata indignitate, et demeritis subjecti, et intendere illud, est contra ipsam rationem boni, quod est communicativum, et diffusivum sui: velle autem malum nulla præsupposita indignitate subjecti, non est communicatio boni. Nec id fieri potest propter ostensionem justitiæ, tum quia hæc ostensio justitiæ non est

ostensio justitiæ in communi, sed determinate, et in particulari, scilicet justitiæ vindicativæ, et punitivæ; velle autem, et intendere punitionem, et vindictam, antequam sit malum quod puniatur, omnino præposterum est, quia justitia vindicativa reddit pœnam ex debito, debitum autem pœnæ est culpa: ergo ante culpam, et ante debitum velle punire, omnino est contra rationem justitiæ; quod vero propter exercendam punitionem, velit Deus se obligare ad permittendum malum, ut puniat illud, majoris crudelitatis, et feritatis est, quia sic delectaretur Deus pœnis hominum, et malis, contra illud Sapient. 1: *Nec delectatur in perditione vivorum*: ita enim amaret punitionem, ut propter illam permitteret delicta ut haberet quod puniret, omnino autem crudele est sic delectari, et velle pœnas, quod propter illas irrogandas permittantur peccata. Tum etiam quia dato quod vellet Deus ostendere suam justitiam, tamen ex hac intentione contra omnem rationem est velle prius ipsum supplicium efficaciter, et postea quærere culpas, aut permittere ut supplicium illud justificetur. Exclusio autem a regno cœlesti est ipsummet supplicium, et summum damnum, quod hominibus inferri potest: ergo si prius vult Deus exclusionem istam, quam prævideat culpas, prius efficaciter vult supplicium, et postea ad executionem ejus permittit culpas, quod est signum illam priorem voluntatem non fuisse in se justam, si quidem ut justificetur in executione, quæruntur culpæ, quæ ante non erant prævisæ. Tum etiam quia non videtur admodum sincera divina voluntas erga nos, ex una parte velle omnes salvare, et hoc ineffaciter, si per ipsos non steterit, et ex alia parte antequam per ipsos stet, nec ali-

quid mali in eis prævideatur velle illos damnare, seu excludere a gloria, et hoc efficaciter: imo hoc esset hominem creare, et efficaciter producere, ut puniat, seu ut periret, quia ex illa voluntate efficaci puniendi ad hoc movetur, quod communiter negat S. Prosper responsione ad tertiam objectionem Vincentianam, et responsione XI, et Damascenus lib. II de fide, c. XXIX, ubi inquit: «Non supplicii causa Deus nos fingit,» et alii sancti patres communiter, et ipsa Scriptura docet Sapient. 1: *Creavit ut essent omnia*.

XLVII. Confirmatur primo, quia illa voluntas efficax excludendi ante prævisa demerita nunquam est mandanda executioni illo titulo denegandi beneficium indebitum, sed alio titulo, scilicet per modum punitionis, et damnationis: hoc enim modo, et non alio exequitur Deus exclusionem illam in reprobis: ergo frustra imponitur a nobis ille titulus denegandi gloriam ob rationem indebiti beneficii. Patet consequentia, quia quod non est exequendum in re, non est efficaciter volitum: ergo si illo titulo non est excludendus in re aliquis, sed titulo damnationis, frustra propter illum dicitur aliquis efficaciter excludi in illa prima intentione.

Confirmatur secundo, quia si Deus ante prævisa peccata vult aliquem excludere a regno cœlesti, et hoc postea exercendum est per modum punitionis, et vindictæ: ergo tenetur Deus ex vi talis voluntatis obligare se ad permittendum peccatum, quia solum peccatum est quod punitur tali exclusione, imo non solum permissionem tenetur velle, sed ipsummet peccatum, quod est implicatorium. Patet, quia illud tenetur velle quod conducit ad punitionem, et prout ad illam conducit; non conducit autem permissio, sed peccatum ipsum, quia permis-

sio non est punibilis, sed culpa permissa, et illud conducit ad punitionem quod est punibile: ergo ipsam culpam tenetur Deus velle, et non solum permissionem.

Respondetur ad principale argumentum, quod omnia ista inconvenientia debent non minus solvi in alia sententia, quam in nostra. Etenim si Deus non rejicit aliquos ab electione gloriæ, nisi prius præviso peccato, inquiri de ipso peccato quomodo permittitur, et prævidetur a Deo? Non propter aliud peccatum quia idem de illo inquiram; et sic in infinitum, quousque deveniatur ad aliquam permissionem peccati, quam Deus ex sola sua voluntate, et non ex alio motivo, vel demerito nostro habet. Nam si modo in nobis peccata permittit propter peccatum originale, de ipso peccato originali inquiram, quomodo in Adam permisit illud, cum ante non præcesserit in eo peccatum, et in Angelis permisit primum peccatum, cum ante nullum in eis esset peccatum. Et tamen peccatum, per quod tollitur gratia est maximum malum, et majus quavis pœna, præsertim peccatum irremissibile, quale fuit in Angelis, et permissio cadendi est subtractio gratiæ, quæ est maximum bonum. Quomodo ergo Deus tantum bonum tollit, tantum malum permittit, nullo antecedente demerito nostro, quia illud primum demeritum est ante quod non fuit aliud? Si ergo ibi nihil est crudelitatis, nihil contra divinam bonitatem, nihil injustitiæ, similiter neque in illa prima exclusionem, seu non electionem ad gloriam: parificantur enim exclusio a gloria, et permissio peccati irremissibilis. Intelligamus ergo pertinere ad Deum, ut ad summum rerum omnium gubernatorem, et factorem multa dare, et multos defectus permittere nullis aliis præsuppositis, quia pri-

mi defectus alios priores non supponunt. Eligant ergo quod velint; vel primi defectus, quos Deus permittit pertinent ad negationem gratiæ, sicut quibusdam Angelis fuit denegata gratia irremissibiliter ante omne aliud peccatum, et primo parenti pro universo genere humano fuit denegata conservatio gratiæ; vel pertinent ad exclusionem a gloria ante omnem aliam culpam prius prævisam. Si hoc secundum, est nostra sententia. Si primum, idem inconueniens tenentur solvere, tum quia exclusio a gratia, et permissio peccati non est minus malum quam exclusio a gloria; tum quia non poterat Angelus excludi irremissibiliter a gratia, nisi supponendo quod esset non electus ad gloriam efficaciter: si enim esset efficaciter electus, non posset irremissibiliter cadere a gratia. Præcedere ergo debuit exclusio, seu negatio efficax electionis ad gloriam, permissionem decidendi a gratia; et sic fuit ante omne demeritum præcedens, et prævisum ut causam. Imo in omnium sententia etiam si Deus reprobet aliquem post prævisa peccata, numquid tamen in manu ejus non erat sic res disponere, ut illa peccata impedirentur, et non præviderentur? Quare ergo non fecit? An crudelis fuit? Ergo in omni sententia querela ista diluenda est, nec cessare potest, nisi considerando quod ad Deum ut supremum Dominum pertinet de omnibus disponere, et unicuique dare locum suum, nec omnes æque admittere ad eandem gratiam, et beneficium, ut suus justitiæ locus detur.

XLVIII. Quare ad argumentum negamus consequentiam. Ad probandum dicimus quod velle alicui malum directe, et ut malum illius est primo, et per se, non decet bonitatem divinam, velle autem illud ex conducentia alterius finis perti-

nentis etiam ad bonitatem Dei, cum quo non potest compati illud bonum particulare, non est contra bonitatem divinam universaliter consideratam. Sed si bonitas divina multa particulari bona non vellet omittere, non posset gubernari mundus, nec universalitas bonitas ejus representari, sicut non possent res generari de novo, si aliæ non corrumpentur, nec sustentari aliæ, nisi aliæ desinerent: sic similiter bonum justitiæ non posset splendescere si omnes creaturæ intellectuales sine ullo defectu persisterent, nec earum contingentia, et libertas ita apparet, si nunquam permitterentur deficere, neque gratia Dei, et magnitudo beneficiorum ejus aestimari, cum indebita sit, si omnibus daretur. Quare ut hæc bona conserventur, quæ etiam maxima bona sunt, pertinet ad providentiam divinam non eligere omnes homines ad gloriam, vel ad gratiam, sed aliquos suæ naturæ relinquere, ut in illis talia possint exerceri.

Et ad replicas, quæ fiunt contra hoc.

XLIX. Ad primam dicitur, quod in primis non movetur Deus ex solo isto motivo ostensionis justitiæ ad excludendum aliquos a regno, sed etiam ex motivo ostendendi suam libertatem, et supremum dominium, et gratuitum beneficium, quia nulli debet illam gloriam, et dat cui vult, et negat cui vult, quia Dominus est, sicut tam infinitis creaturis possibilibus denegavit productionem, et esse, et his paucis voluit dare in hoc universo, solum quia voluit. Et in hac solutione non currit argumentum, quia prius ex aliis motivis Deus permittit illos defectus, seu denegat sua beneficia, et postea ex motivo justitiæ vult peccata ex tali permissione secuta punire illa exclusionem ut executa, utiturque illamet in re ut supplicio. Denique, ad-

dimus quod etiam vult ostensionem suæ justitiæ tamquam motivum. Et docet S. Thomas hic articulo quinto, et in particulari vult ostensionem justitiæ vindicativæ, seu retributivæ pro malis. Cum vero dicitur, quod Deum velle ostensionem suæ justitiæ antequam sint mala, omnino præposterum est, et injustum, distinguo; antequam sint mala pure antecederet, et ut motiva istius voluntatis, nego; antequam sint mala, etiam consequenter, et ut permittenda pro executione justitiæ, concedo. Quando enim Deus intendit ostensionem suæ justitiæ, non accipit pro motivo ipsa mala, seu peccata jam existentia, et permissa, si quidem ut permittantur, aliquem finem priorem supponunt, propter quem permittuntur, et inter illos fines etiam est ostensio justitiæ, et ita non præcedunt mala ut motiva hujus intentionis. Cæterum non vult Deus hanc justitiam exercere, nisi circa mala, quia hæc sunt propria materia hujus justitiæ, et ita oportet quod mala consequenter se habeant ad illam voluntatem, quatenus ex ipsa nascitur voluntas permittendi mala, et hoc sufficit ut dicatur Deus non velle suam justitiam antequam sint mala, id est, non velle, nec intendere quod justitia illa exerceatur, nisi suppositis malis, non tamen motivum quod habet ad ostendendum et ponendum in re suam justitiam, est ipsum malum, seu peccatum. Unde aliud est motivum manifestandi, et ostendendi justitiam, aliud motivum exercendi. Exercetur enim ratione debiti recompensandi, et hoc debitum in vindicatione, seu punitione oritur ex culpa. Intenditur autem ejus ostensio, non ratione hujus debiti, sed propter suam præstantiam, et virtutem, qua congruit pulchritudini universi; et sic propter debitum universi ejus ostensio intenditur,

non propter debitum mali recompensandum.

L. Cum vero instatur, quod si Deus propter hanc ostensionem punitivæ justitiæ se obligat ad permittendum mala, delectatur in pœnis hominum, si quidem propter illas inferendas permittit mala, respondetur quod Deus non delectatur in pœnis hominum quatenus pœnæ ipsorum sunt, sed delectatur in ipso ordine, et virtute justitiæ, quæ est coercitiva, et recompensativa malorum, ut optime docet S. Thomas 2-2, q. xxv, art. vi ad iii: Justus enim Dominus, et justitias dilexit, et 1-2, q. lxxix, art. ix ad i, et ista virtus est omnino necessaria ipsi universo, nisi Deus velit suo speciali beneficio naturam sic continere, ut in nullum defectum labatur. Unde habet Deus hoc judicium. Ordo justitiæ necessarius, et perfectissimus est pro defectibus reparandis, et ad debitum ordinem reducendis, nisi mea misericordia aut nullum velim malum permittere, aut omnia remittere. Hoc secundum non est consentaneum naturali rerum cursui, et pulchritudini universi; et sic eligo primum, scilicet quod ordo justitiæ ponatur in rerum natura; et sic aliqui defectus permittantur, quod est conformius naturæ contingentis creaturæ liberæ: et sic non omnes misericordia absumantur, sed aliqui reserventur justitiæ. Unde oportet aliquos non eligere ad statum gloriæ in quo non exercetur justitia punitiva, sed relinquere illos mutabilitati suæ naturæ. In hoc judicio non proceditur ex delectatione de pœnis hominum, sed ex amore ordinis justitiæ, et dispositioni universi conformi, et consentaneo rerum humanorum, et creaturarum intellectualium cursui, quem stabilire maxime pertinet ad supremum gubernatorem. Et propter hunc ordinem servandum non propter il-